

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 3911

**Auteur(s) :** Philippe III le Hardi, France (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Rouen, Saint-Ouen (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1281, décembre

**Lieu d'émission :** Paris

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

En rappelant que Jean, prévôt de Freneuse, avait reçu en ferme par roi Louis [IX] la terre du chevalier Mathieu de Camuntel, Philippe [III], roi de France, concède cette terre, pour la raison de non-exécution de la ferme de la part dudit Jean, à l'abbé et aux moines de Saint-Ouen de Rouen pour 100 livres tournois. Ils la tiennent en ferme désormais moyennant la rente annuelle de 55 livres tournois.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 982, p. 251.

Texte établi d'après a

Philippus, Dei gratia, Francorum rex. Notum facimus universis, tam presentibus quam futuris, quod cum Johannes prepositus de Frenosa terram que fuit Mathei de Camuntel, quondam militis, ab inclite recordationis precarissimo domino et genitore nostro Ludovico, rege Francorum, ad firmam perpetuam, diu est, ut intelleximus, recepisset pro quadraginta novem librarum (sic) decem solidis et uno denario turonensi annui redditus, a (sic) duo scacaria annuatim solvendis, ac dictus prepositus pluries defecerit in solutione dicte firme, ita quod propter defectum solutionis dicti prepositi dictam firmam cum contraplegio in manu nostra saisiri fecimus, et per longum tempus teneri, nos viris religiosis abbati et conventui Sancti Audoeni Rothomagensis ac eorum successoribus ad firmam perpetuam tradidimus et concessimus ea que dictus prepositus receperat et habebat de firma predicta, pro quinquaginta quinque libris turonensibus annui redditus, nobis et nostris successoribus persolvendis, medietate videlicet ad scacarium Pasche et alia medietate ad scacarium Sancti Michaelis, et pro centum libris turonensibus, de quibus nobis satisfecerunt ad plenum, videlicet de sexaginta septem libris et decem solidis turonensibus pro dicto preposito, in quibus ipse nobis tenebatur pro arreragiis dicte firme, et pro introitu ejusdem firme de tringinta duarum (sic) libris et decem solidis turonensibus in peccunia numerata, videlicet : tringinta unam acras terre arabilis, octo acras et unam virgatam pratorum, tredecim acras et dimidiam bosci, quatuor libras quatuor solidos sex denarios censuales, quatuordecim minas avene, campipartem quam habebamus ibidem, septem boissellos annuos quarteriens frumenti, unum annum modium vini, sex capones, septem galinas, sexaginta quinque ova ; item releveia rusticorum et simplicem justiciam et homagia eorum, salvo tamen jure in omnibus alieno, retentis nobis spate placito cum pertinentibus ad placitum spate, forefactoris, gardis, releveii feodorum lorice integrorum ac etiam partitorum et francarum serjanteriarum, et jure patronatus, si quod nobis competat in firma predicta. Si autem, occasione premissorum vel alicujus de premissis, inter dictos religiosos et homines tenentes de dicto feodo

contingat aliquam oriri querellam, volumus quod ad primas assisias seu placita nostra sine dilacione et essionio audiatur ac etiam terminetur, et si predicta ad firmam tradita alicui in aliquo teneantur, dicti abbas et conventus et eorum successores tenentur ad faciendum et reddendum ea que proinde debent fieri sive reddi. Et de dicta summa nobis annuatim, ut dictum est, reddenda, dicti religiosi quindecim libratas turonenses annui redditus super totum suum tenementum de Soteville in contraplegium obligarunt, nobis et successoribus nostris una cum predicta firma perpetuo remansuras, si ipsos vel successores suos contractu hujusmodi contingeret resilire. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo primo, mense decembri.